

17

17

DESCRIPTIO  
FABULOSÆ HISTORIÆ  
DUODECIM  
HERCULIS  
LABORIBUS,


IN

CELEBERRIMA AULA  
Archiducali OEnipontanâ Palatij ve-  
teris expensis Excelsæ Cameræ Superioris  
Austriæ anno 1711, restaurata

Ad parietes muri nobilissimè depictis.



OENIPONTI, Typis Hæredis Jacobi Christ. Wagner,  
Cæl. Aul. Typographi.




AUGUSTISSIMO,  
POTENTISSIMO, ET IN-  
VICTISSIMO  
PRINCIPI,  
DOMINO, DOMINO  
 A R O L O  
SEXTO,  
DEI Gratiâ Romanorum  
IMPERATORI,  
Hispaniæ, Indiarum, Germaniæ,  
Hungariæ, Bohemiæque  
REGI,  
ARCHIDUCI AUSTRIÆ, DUCI BURGUN-  
DIÆ, et COMITI TYROLEOS, &c. &c.

*Domino, Domino suo Clementissimo.*

Descriptionem hanc demississimè  
dicat, ac consecrat

*Humillimus devotissimus &  
Servorum infimus*

*Francis. Anton. Rigas, Praefect. Aulicus.*



**H**ERCULES, cuius famoso nomine Archiducalis hæc Aula Herculea nuncupatur, & tam ob ædificij vastitatem, quam singularem Picturæ elegantiam, Urbem OEnipontanam inter alias vetustatas vel maximè etiam celebrem reddit, secundum Poëtarum fabulas dicitur filius Jovis, ex Alcmæna Electrionis filiâ, & Amphytrionis Thebani Principis Uxore natus, qui incomparabili suæ fortitudinis vigore maxima rerum gesta præstisſe fingitur. Inter alia autem fortitudinis Ejusdem documenta duodecim labores fabulosis Ovidij carminibus ad æternam Posteritatis memoriam per celebres decantantur, qui etiam à Boëtio in fine lib. 4. descripti: & in supradictâ Aulâ ingenioso penicillo, nullo temporis ævo satís admirando, ad murum depicti, spectantium oculis subjiciuntur.

## ¶

**P**RIMA Aulæ Pictura ad dextram partem ingressus exhibit Herculem in cunis jacentem, quando scilicet jam tunc temporis in tenerimâ suâ ætate pro primo fortitudinis specimine duos horribiles Angues à Junone odij causâ immislos, manibus compressos elisit.

## ¶

**S**ECUNDA Pictura ad idem latus expressa denotat illud ab Hercule in adultiori postea ætate magnanimæ Virtutis ausum, quo in Nemæa Arcadiæ Regionis horridissima Sylvâ eximiæ magnitudinis Leonem, discerto faucium rictu, imperterritus occidit: cuius exuvias pro insigni suæ generositatis deinceps sibi humeris induit.

## ¶

**T**ERTIA Pictura exprimit illud memorandum Herculis factum, quando Acheloum, Oethioliae Regem, Oceani, & Thetyos filium, qui pro Dejanirâ Oenei Calydoniæ Regis filiâ obraram formæ præstantiam, à primis Regni Heroibus in sponsam petitâ, eique solummodo pro Uxore


Uxore à Patre promissâ , qui reliquos corrivales  
dimicando superaret, publico cum eo certami-  
ne congregdi ausus fuit, gloriose devicit : Ache-  
lous autem , ut fabula fert, videns Herculem in  
pugna fortiorē , se primò in Serpentem, de-  
inde in Taurum convertisse dicitur: cui Hercu-  
les, occisô priùs Serpente, amputavit cornu, quod  
deinde à Nayadibus Nymphis Acheloi filiabus  
à terra elevatum, & ab Autumno omnis generis  
fructibus repletū, ob eorum abundantiam, cornu  
copiæ nuncupatum est, Achelous hac ratione sub  
diversâ etiam formâ ab Hercule viētus, se occul-  
tavit in fluvio sui nominis: est enim Achelous  
verè fluvius Græciæ, qui oritur in monte Pindo,  
& Ætholiam ab Acarnania dividens in mare  
Maliacum descendit.

Dejanira post Acheloum sub specie Serpen-  
tis & Tauri ab Hercule viētum , ejus Uxor facta.  
Hellum filium peperit: cùm autem eò tempore  
Hercules cum Uxore suâ Eveni fluvij transitum  
pararet, Nessus Centaurus se ultrò obtulit , ad  
transvehendam Dejaniram, quam , cùm dein-  
de dorso impositam in adversam ripam depor-

tâasset, & vim illi inferre tentaret. Hercules id  
videns, eum trajecit sagittâ; id quod pictura ex  
parte dextrâ latius ostendit; sed Nessus, ut mor-  
tem suam vindicaret, jussit Dejaniram suo mo-  
rientis cruce illinire Herculis vestem, quâ in-  
duta illum semper in solo sui amore retineret;  
quod & subinde factum est; paulò post enim  
cum Hercules Jolem Eurithi Laconiæ Regis fi-  
liam (quem Hercules post captam Æalias Ur-  
bem, ex eo, quod illam sibi ante desponsatam  
denegâasset, occidit) rapuisset, atque adeò depe-  
riret, ut ei, non secus ac ancilla Dominæ suæ  
serviret, &, ipsâ etiam jubente, veste muliebri  
indueretur: Dejanira zelotypiæ vehementiâ mo-  
ta, & Nessi verborum memor, Illi per servum  
suum Lycham vestem sanguine Nessi tinetam  
misit, quâ Hercules indutus tam ardenter cru-  
ciatus, & in fuorem actus est, ut Lychâ suô ser-  
vô priùs in aquam dejecto, se ipsum quoque ex  
rabie, constructa lignorum strue igni immitte-  
ret, & ut in 5.<sup>ta</sup> Figura Partis dextræ uberiùs  
monstratur, omnino combusserit. Lychas au-  
tem Herculis servus à sua Matre Thetyde inno-  
centiæ filij indolente fingitur mutatus in rupem,  
variis

variis conchis undiq; tectam, ex quarum squamis olim etiam Purpura fiebat.

Phyloctetes, qui comes Herculis, & Pæontis filius fuit, eum ita ex furore combustum sepelivit: & sagittas illius in amici memoriam retinuit; uti in prædictâ picturâ infrâ rogum cernitur: sed cum Phyloctetes successu temporis ad bellum Trojanum iturus esset, unâ sagittarum in pede vulneratus in Insulâ Lemno (quæ est una Cycladum in Ægeo mari) mansit, & denuò Urbem Petuliam in Calabria condidit.



**Q**UARTA pictura ulterius ad dextram Aulæ partem conspiciendum præbet, quomodo Hercules cum Antæo vastissimi corporis gigante in Lybia singulari etiam pugnâ certaverit, qui Antæus quoties ab Hercule in terram prostratus, terram, fictione Poëtarum, matrem suam tetigisset, toties ab ea novis iterum viribus auctus, fortior surrexit; sed Hercules fraudem advertens eum tandem è terra in altum sustulit, & in aëre compressum suffocavit.




**Q**UINTA pictura ad murum sinistræ partis expressa æternam Herculi quoque gloriam nullo ævo unquam peritaram tribuit, quam sibi in Inferis comparavit; dum ibi Theseum in vinculis detentum, eò, quod cum Pyrithoo amico suo Proserpinam rapere vellet, è faucibus tricipitis Cerberi, ad vestibulum inferni terribili faucium hiatu excubantis, in conspectu trium furiarum, aliorumque horribilium spectrorum magnanimo ausu liberavit, Cerberumque incredibili roboris, armorumque vi exinde captum unâ secum in triumphum abduxit.




**I**N SEXTA Aulæ Figura cernuntur depictæ Harpyæ supra portam Paradysi volitantes, quas Hercules immissis sagittis insectatus occidit; fungunt autem Poëtæ, Harpyjas, tres Sorores fuisse Aello, Ocypete, & Celeno nomine, in anteriori corporis parte, humanâ, in posteriori autem aviū formâ præditas: & propè strophades in mari Jonio commorantes. Hercules telo eas trajecit. eò, quod Illæ Phineo Regi, qui Uxoris secundæ impulsu

impulso filios excæcare solebat, omnes cibos vel rapacibus unguibus abstulerunt, vel agitatione alarum, pulvere fædaverunt; fingitur etiam à Poëtis, quod Zetus & Calaes Fratres, & Boreæ filij, utpote insignes tunc temporis Sagittarij istas Harpyjas, tanquam aves rapaces dudum jam etiam è Regno Phynei fugaverint.




**S**EPTIMA pictura majori Scalæ ad aditum Aulæ proxima, Herculis laudem ex eo facinore non minorem reddit, quod in Lernæa palude circa Argos nobilem Achajæ Urbem sitâ horribilem & venenosissimam illam septemplicis capitatis Hydram, ex cuius cervice quoties Hercules unum vel alterum caput amputabat, semper exinde nova renascebantur, igne & flamniis penitus exusserit.



**O**CTAVA pictura priori proxima repræsentat illud sanguinolentum bellum, quod Hercules cum Centauris crudelissimo Thessaliæ populo (qui primus equis pugnasse dicitur) circa Pelium montem generosissimè gessit, quos etiam


Hercu-

Hercules felicissimo prælio vicit; bellum hoc  
ortum est in nuptiis Hypodamiæ cum Pyrithoo  
Ixionis Lapitharum Regis filio, ad quas etiam  
Centauri erant invitati, qui cùm Baccho inca-  
luissent rixæ sunt exortæ illos inter, & Lapithas,  
quos Hercules contra illos eduxit, & Hypoda-  
miam ijs vi diripuit. Pyrithous autem cum  
Theseo suo amico ad inferos descendit, ubi à  
Cerbero fuit devoratus, & Theseus, uti in quin-  
ta Pictura videre est, in Inferno detentus, donec  
ab Hercule iterum fuerit liberatus.



**I**N NONA pictura circa primas Aulæ fene-  
stras ad sinistram partem ingressus publi-  
co conspectui etiam patent amænissimi illi He-  
speridum horti, in quorum arboribus fingeban-  
tur aurea poma fuisse, quæ pervigil ibi Draco  
custodiebat; Hercules autem illuc venire ausus,  
interfecto Dracone, omnia aurea poma exinde  
secum abstulit. Hesperides à Poëtis dicuntur  
tres Sorores, & filiæ Hersperi, seu Atlantis fuisse  
prope Lixon præclaram Mauritaniæ Urbem ha-  
bitantes, quarum nomina Ægle, Aretusa & He-  
speretusa sunt.


Non




Non minus visu digna est etiam DECIMA  
pictura, inter duas aulæ portas nobilissimè expressa, quæ ad vivum repræsentat memorabile illud bellum, quod Hercules cum Theseo Ægæi Atheniensis Regis filio viro sui temporis fortissimo & more Herculis magna præstare solito, contra Amazones victoriosus gessit; fuere autem Amazones fœminæ Scithicæ bellicosissimæ propè Thermodoontem flumen, & Mæotidem paludem sine viris habitantes: istæ enim Amazones, postquam viri eorum à suis hostibus occisi erant, spretis secundis nuptiis, quas servitutem esse dicebant, semper viduæ permanebant, & ad exempla virorum dejnde contra vicinas gentes arma capessebant, utque eò promptius in bello arma vibrare possent, dextras sibi mammae absciderunt, ex eo etiam Amazones, Græcè, quasi sine mammis dictæ, & has Hercules solus, & unicus viriliter aggressus in prælio viciisse, & de iis triumphasse dicitur, quare etiam ab Hypolita earum Regina aureum cingulum pro trophyo ad Regem Euristæum reportavit.



**UNDÉCIMA** Figura, ad dextram partem prout pè ultimas Aulæ fenestras depicta, ulterius exhibet, quomodo Hercules Diomedem Regem, crudelissimum Thraciæ Tyrannum, advenarum carnibus equos suos pascere solitum, magnanimâ generositate occiderit, eumque cum asseclis, equis suis devorandum objecerit.



**D**UODECIMA Figura nobis depingit præstans illud Herculeæ virtutis factum, quando Hecules Cacum, famosum in Italia Latronem, & publicum Villarum Incendiarium ex hoc capite etiam Vulcani filium dictum, quod sibi, & aliis in circumvicinia boves clam abegerit, eosque semper per caudam in antrum traxerit, clavâ sua imperterritus interfecit.



**D**ECEM TERTIA pictura, ad dextram Aulæ partem, illud Herculis famosum certamen exprimit, in quo cum Geryone Hispaniæ Rege (qui propter tria regna, tricorpor, & in certamine

certamine tribus horrendus corporibus apparuisse fingitur ) indefesso animo dimicavit , cùmque etiam clavâ suâ postravit.



**D**ECIMA QUARTA Figura ad murum depicta repræsentat , quomodo Hercules Busirim Ægypti Regem , qui hospites suos barbara crudelitate tractare solebat , è vita sustulerit.



**D**ECIMA QUINTA pictura ad minorem Aulæ portam & ultimas fenestras sinistræ partis exhibet Atlantem in forma Herculis humeris cœlum portantem . | Fuit autem Atlas summus Mauritaniæ mons , qui ob altitudinem suam accolis columna cœli vocabatur , & ob id à Poëtis fingitur illum : maximum esse gigantem , qui cœlum humeris sustineat .





317 2 100



